



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Disput. 11. De praecepto ad pacem attinente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

tate vitare peccatum proximi, si facile potest. Vnde si tale peccatum est contra alios proximos, maior erit obligatio vitandi talem materiam, & respectu illius tertij poterit esse obligatio non tantum ex charitate, sed etiam ex iustitia, quæ obligat non dare alicui instrumentum ad inferendam iniuriam alteri, quia hoc est moraliter cooperari iniurijs.

Corollarium
de vendenti
bus arma ad
bellandum.

Obiicitur.

Responsio.

Obiicitur 2.

Satisfit.

Obiicitur 3.

Occurritur.

De his vide
Sanc. lib. 1. in
decal. c. 7.

3. Conclusio
bipartita, &
communis

Offenditur
prior pars.

Offenditur
posterior.

5. Ex quo resolvitur illa quæstio, An liceat vendere arma iniuste bellantibus. Nam si constat de iniustitia, nullo modo licet, si vero causa sit dubia resolvenda est quæstio ex regulis datis de conscientia in 1. 2. quæ iterum applicabuntur infra in materia de bello. Oppones primò: si alter est in voluntate peccandi, non evitatur peccatum ex eo, quod non dem materiam, seu instrumentum peccandi: vnde ibi non interuenit scandalum, quia ruina fratris iam datur. Respondetur primò, fieri posse, ut ille non conceperit eam voluntatem, offerendo autem, vel donando, illam ego excitem, atque ita scandalum generem. Secundo, militare etiam contra charitatem, offerre proximo materiam, seu instrumentum, quo exequatur malam voluntatem; nam ipsa met executio est quædam fratris exequens ruina, eamque malitia amplius durat, & augeatur. Oppones secundo, quia quamvis non dem, aut vendam, alius vendet.

Respondetur, id nihil referre, sicut peccat servus exequens iniustum mandatum Domini, quantumlibet sciat alium facturum, si ipse exequi nolit. Ratio est, quia ipsa actio est mala, & non tollitur ab ea deformitas, propterea quod multi sint parati ad similes actiones. Argues tertio. Ergo peccat ille, qui domum suam locat meretrici, quoniam certus est velle ad malum vsum. Item peccabit famulus, qui in die ieiunii ministrat cibum domino, cum certus sit violandum esse ieiunium. In huius generis casibus valde laborant Authores, quia videntur sequi evidenter, cum tamen eos admittere videatur durum: breuiter dico, ideo dixisse me in conclusione, hoc non esse intrinsece malum. Item addidisse *si facile potest & sine magno gravamine*. Vnde in proposito, si quis sine illo incommodo potest domum suam locare alteri, concedo male facere sine illa necessitate, vel utilitate locando, cum præscientia mali vsum: & idem est in similibus actionibus. Si tamē non occurrerent alij, qui locarent, vel difficile possent inueniri, non teneretur quis priuare se suo iure, quia reuera non intendit peccatum alterius, nec per se excitat, aut præbet materiam peccati, sed solum non impedit eo tempore, quo moraliter non censetur posse, atque adeo non teneri. Eadem ferè regula seruanda est in posteriori casu de famulo, licet ibi sit maior ratio dubitandi, quia videtur cooperatio positua ministrare cibos. Respondet autem Caietanus totam illam cooperationem de se esse ad actum indifferenterem vel bonum, vel potius in eo euentu famulus aut locator proprie non cooperatur actiue, sed facit aliquid de se indifferens quo alius postea male vitur.

Denique in his quoque consideranda sunt circumstantiæ particulares, ut monuimus.

6. Dico tertio. Quando res sunt tales, ut ex institutione sua, vel ex vsum, aut lege sint prohibita, vel destinata ad malum finem in hoc tempore, & loco, ita ut moraliter semper probabiliter timeatur prauus vsum, non licet eas tradere alteri, nisi in particulari constet cessare periculum prauus vsum. Conclusio quoad vtramque partem est communis, & prior patet, quia hæc tradere, est moraliter præbere occasionem peccati; est ergo moraliter loquendo scandalum etiam cooperationis: patet etiam exemplis, in eo qui materiam præbet ad sacrificandum idolo, &c. Posterior vero inde constat, quia huiusmodi actio non est mala, nisi prout moraliter, & in re habet malitiam, & deformitatem adiunctam: si autem constet, alterum nolle rem ad prauum vsum, tollitur iam deformitas: ergo cum tali scientia iam non erit

malum vendere huiusmodi rem: sed oportet aduertere non satis esse nefarie malum vsum determinatè, sed nec esse est moraliter censere, res ad eum finem non ordinari ab accipiente, ad quem iuxta conclusionem, communiter, & qualiter ex primaria institutione referuntur.

7. Quæres: quid si res ipsa, prout a me fit, possit habere bonum vsum, verbi gratia, ut remigatio contra Christianos, ædificatio templi, quod per se potest referri ad cultum veri Dei, tamen hic, & nunc scis referri ad idolum, & alias cogit metus mortis ad adiuvandum, ferendum latere, &c. Erit ne hoc intrinsece malum? videtur enim non esse, quia quod ibi facio per se non est malum. Respondetur, in his Resolutio. cauendum omnino esse posituam cooperationem, quia hæc intrinsece mala est, cum sit contra præceptum negativum. Et hæc de causa in illo exemplo, ut Caietan. rectè dixit, non licet; quia illud est moraliter cooperari, quando autem non est cooperatio positua, sed solum, non impedit, vel aliquid facis per se indifferens, non erit intrinsece malum: pro ratione ergo circumstantiarum (seruato semper ordine charitatis) quando ne sit cooperari, aut quando sit tantum non impedire, in singulis materijs considerandum prudenter est.

8. Alias quæstiones quas D. Thom. citata quæst. 43. tractat art. 5. & 6. in quibus personis posset inueniri scandalum, omitto, quia faciles sunt. Quod enim inquit, actuum scandalum ad imperfectos pertinere, non ad perfectos, passiuum etiam similiter, regulariter intelligendum est, quia virtus perfecta efficit, ut neq. homo facile moueatur ad ruinam exemplo aliorum, neq. alios moueat. Non tamen repugnat interdum cadere in viros perfectos ratione scdali, sicut possunt etiam tuere per suggestionem demonis, quod tamè facilius accidunt in venialibus, quam in mortalibus peccatis. Alia quæstio esse posset, an teneatur quis restituere damnum, cuius formaliter causa fuit per scandalum. Dicendum enim est non teneri, nisi interueniat iniustitia, quia sola illa obligat ad restitutionem, ut constat infra quæst. 62. Vnde etiam sit ut non teneatur ad restitutionem damni confessarius, qui culpabiliter non obligat peccantem ad restitutionem: quia in eo solum peccat contra religionem. Lege Sot. 4. de iustitia q. 6. art. 3. conclus. 2. & sequent. Syluestrum verbo *restitutio*, 3. part. 1. Contrarium teneat Scot. in 4. distinct. 15. quæst. 3. Richard. quæst. 2. art. 5. Adrian. in materia de restitutione: sed nullum habent probabile fundamentum.

DISPUTATIO XI.

De precepto ad pacem pertinente.

INTER effectus charitatis numerauit D. Thomas pacem, & ideo agit de contrarijs paci 2. 2. q. 37. ad 42. tamen multa, quæ dicuntur, magis ad materiam de iustitia spectabant, quia vix lædatur pax, nisi per iniuriam, sed quoniam materia est graui, tractabitur hoc loco.

SECTIO VNICA.

Vtrum pax sit in precepto, cui repugnat discordia, & contentio.

Respondetur, simpliciter pacem esse in precepto: hoc enim intrinsece sequitur ex amore ad quem spectat animos coniungere, ut constat ad Roman. 12. & 2. Cor. 13. *Pacem habere, & Deum pacem, &c.* Sed aduertendū est in pace duo considerari: Vnum est positiuum, quod consistit in consensione voluntatum primario: consequenter et iudiciorum, actionum, & sermonum. Aliud est negatiuum, scilicet non facere aliquid;

aliquid, quod dissoluat istam consensionem: illud prius reuera spectat ad amorem, quatenus sub amore omne bonum desiderium, & beneuolentiam comprehendimus: unde ad hoc non videtur necessarium speciale preceptum, præter commune dilectionis. Posterius priuatum potest esse multiplex: nam in hoc consistit, ut homo se absteineat ab omni actione, quæ possit dissoluere istam pacem: & huic proposito opponitur dissensio voluntatum, & quicquid ab ea procedat, quæ generali nomine potest dici discordia.

Conclusio.

2. De qua dico secundò, hanc discordiam irrationabilem esse quidem malam, & interdum contrariam charitati, interdum vero alijs virtutibus; loquimur autem de irrationabili, quia nonnunquam fieri potest, ut hæc dissensio sit quasi materialis, & nihil derogans charitati. Explico, & probabo omnia, consistit enim hæc discordia, ut ego velim contrarium eius, quod proximus vult, quod fieri potest, vel quia unusquisque rationabiliter mouetur, ad volendum ius suum, neque infert in eo alteri iniuriam, neque per se vult incommodum eius, & hoc modo potest discordia nullum esse peccatum, si unusquisque vere per se intendat honestum, sine intentione inferendi malum alteri.

Expletur, & probatur conclusio ex duplici modo discordie

Modis minus peccatum malum

Alio modo peccatum minus

3. Alio modo potest quis voluntate sua discordare à voluntate alterius quando tenetur consentire: & tunc discordia est mala, tamen sicut obligatio illa potest oriri ex varijs virtutibus, ita hæc malitia potest ad diuersa vitia pertinere. Tenetur enim subditus ex lege obedientie voluntatem suam conformare cum voluntate superioris. Unde si discordet, peccat: tamen illa discordia immediate est contra obedientiam. Similiter interdum tenetur debitor ex iustitia concordare voluntatem suam cum voluntate creditoris, & tunc discordia contraria erit contraiustitiam: ita D. Thom. secunda secundæ quæst.

74. Et Soto in quinto de iustitia, quæstione vnde prima. Contra charitatem autem erit specialiter, quando illa obligatio orta fuerit ex solo vinculo charitatis, ut si proximus velit aliquod bonum obtinere sibi necessarium, aut valde vtile: ego autem sine causa rationabili velim impedire. Nam etsi nullam inferam iniuriam, ex se videtur hoc amicitie valde derogare, & regulariter talis discordia oritur aut ex odio, aut ex inuidia, quare horum vitiorum malitiam participat.

Ex quo genere est mortale D. Th.

4. Propterea dixit Diuus Thomas quæst. trigesima septima, genere suo esse peccatum mortale, & regulariter si quis ita discordaret à voluntate proximi in re quæ ad illius bonum spectat, solum hoc intendens, ut ille non obtineat tantum, aut tale bonum, vere ex genere suo habet gravem inordinationem de se sufficientem ad dissoluendas amicitias; unde merito ponitur contraria charitati. Posset tamen excusari à peccato saltem mortali, si quis discordaret hoc modo à voluntate alterius, non intendendo detrimentum eius, sed consulendo suæ utilitati, vel voluptati, nam licet esset causa fortasse contrarietatis, tamen si propterea proximus non constitueretur in aliqua necessitate, non esset ibi speciale peccatum contra charitatem, sed esset actio iuxta qualitatem, & modum intentionis: nam immediatum obiectum tantum indifferens est, quoniam sicut non tenetur subuenire, neque bene facere proximo, ita neque consentire voluntati illius, aut non discordare, nisi quando inde constitueretur ipse in aliqua necessitate. Ex quibus multi casus possunt elici de consulente testatorem, ne eum relinquat hæredem, quem volebat, licet sine fraude, & dolo; de rogante electorem, ne illi conferat beneficium, cui volebat, & similes, in quibus si iniuria separatur, & odium, & inuidia, raro, aut nunquam est peccatum mortale, & sæpe nullum, si rationabili sit causa.

Alquando excusatur.

Impediret autem tertio bonum ab alio, confestim quod si peccet tunc non peccat

5. Dico tertio. Contentio, quæ ex discordia nascitur, est etiam mala pro qualitate malitiae ipsius discordie. Aduertendum est generaliter posse dici contentionem, omnem contrarietatem ortam ex discordia, quasi idem sit contendere quod in contraria tendere. Tamen specialiter accommodatum est hoc nomen ad significandam contrarietatem in iudicijs, vel contrarietatem in verbis, quæ eatenus mala sunt, quatenus ex voluntarijs malis oriuntur. De dissensione ergo in iudicijs primo aduertendum est, non esse intrinsece malam, quia cum hominibus non sepe sit perspecta veritas, possunt ex rationibus probabilibus in contraria ferri iudicia. Secundo erit hæc contentio mala, si sit in his rebus, quas aliquis credere tenetur, & tunc malitia eius ad hæresim præcipue spectat; præterea potest esse mala, quando temere, & sine sufficiente ratione iudicatur, & tunc hæc malitia ex obiecto in speculatiuis rebus est contra virtutem studiositatis: in practicijs vero est contra prudentiam, & potest esse contraiustitiam, vel aliam virtutem, si contra illam aliquid oriatur. Contra charitatem vero videtur esse specialis malitia, quando aliquis directe, & quasi ex intentione vult aliud opinari, vel iudicare, ut alteri contradicatur: nam sine dubio hoc ex obiecto suo est irrationabile, & maxime contrarium illi coniunctioni, quam charitas postulat: raro tamen hoc erit peccatum mortale, nisi ab extrinseco, & ex accidenti, quia per se non est grauis læsio charitatis. Secus vero esset, si quis ea ratione se exponat periculo docendi res falsas. Nam inde posset contrahi grauis malitia.

In iudicijs quousque, & qualiter sit vel non sit mala contentio.

6. Vitimò aduertendum, circa intentionem in verbis in primis per se non esse malam si gratia disputationis sumatur, & modus seruetur de quo nonnulla dixi in materia de fide, & videri possunt Basil. libro de Spiritu S. initio. Nanzianz. lib. 1. Theolog. & August. epist. 83. & in Enchyrid. cap. 57. & 58. Secundo si hæc contentio fiat seridè, & animo docendi contrarium eius, quod alter dicit: si etiam fiat, honesto ex joco, animo suo loco, & tempore veritatis aperiendi, per se non est mala. Tertio, si quis impugnet exterius veritatem cognitam, illa est formalissima contentio, & primariò est contra veritatem, tamen simul etiam est contra charitatem. Et D. Th. quæst. 38. dicit esse peccatum mortale ex genere. Verum si consideretur solum repugnantia, quam hoc habet cum charitate: nimirum illa disunctio animorum, quam potest per se efficere contentio, raro erit peccatum mortale, quia non frequenter lædit grauius charitatem, tamen quia ex se potest dissoluere amicitiam, & semper videtur habere aliquam admixtam rationem iniuriæ, ideo interdum esse poterit peccatum mortale.

Quid de contentione in verbis.

Exponitur D. Th. dicens hanc contentionem esse de se mortalem.

7. Quærit tamen Caietan. An hoc etiam habeat locum in rebus pure speculatiuis, quæ neque ad fidem, neque ad mores spectant? & videtur affirmare, quæuis in summa verbo contentio oppositum sentiat, sed de hoc plura diximus in 1. 2. agentes de conscientia. Nunc breuiter dico non esse graue peccatum, nisi fiat cum aliqua graui iniuria proximi, erit autem talis iniuria, si quis ea ratione voluntarie doceat ea, quæ scit esse falsa, idque frequenter, & in rebus grauib; nam hæc est iniuriola deceptio, & magnum incommodum proximorum. Unde tandem intelligitur quid dicendum sit, quando hæc contentio non procedit ex illa intentione formali, sed vel ex quadam temeritate, vel ex graui negligentia, ut cum quis sine sufficienti inquisitione, ac studio, contrariū intendit in rebus grauib; nam hoc poterit esse peccatum eiusdem rationis cum illa intentione formali pro ratione ignorantie & negligentie, solumque differat tanquam directe, & indirecte voluntarium.

Quasi unum locum in rebus pure speculatiuis, quæ neque ad fidem, neque ad mores spectant, & videtur affirmare, quæuis in summa verbo contentio oppositum sentiat, sed de hoc plura diximus in 1. 2. agentes de conscientia.

Resolutio de qua Sancti. I. Decal. c. 9. in 16. cum alijs